

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2009

**Auteur(s) :** Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Évreux, Saint-Taurin (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1195, 15 janvier

**Lieu d'émission :** Le Vaudreuil

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard Cœur de Lion confirme les donations faites par Richard, fils de Guillaume, duc de Normandie, et par ses prédécesseurs et barons, à l'abbaye de Saint-Taurin d'Évreux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 564 (extrait).
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1868, t. 2, p. 279, 513 (extraits).
- c. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1869, t. 3, p. 204 (extrait).
- d. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° L, p. 61-66.
- e. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Ebr., n° XI, col. 138-141.

Texte établi d'après d

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Acquitanie, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, senescallis, prepositis et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem.

Sciatis nos concessisse et presenti carta nostra confirmasse Deo et ecclesie beati Taurini, primi Normannorum episcopi, pro salute anime nostre et antecessorum et successorum nostrorum, donationes quas antecessores nostri suo tempore et barones eorum eidem ecclesie fecerunt. Que donationes et qui eas donaverunt in presenti carta subscribuntur :

Ricardus filius Willelmi, dux Normannie, qui abbatiam in honore sancti Taurini Ebroicensis instituit, hec que subscribuntur de dominico suo ipsi sancto donavit. Scilicet : decimam thelonie Ebroice civitatis et vicecomitatus, et hospites in eadem villa, cum libertate ; et burgum eidem ecclesie propinquum, soli ecclesie serviens ; et terram cum aqua, et in silva sua, ligna ad omnes usus monachorum necessaria, et passionem ad suos proprios porcos. Et ibi prope, villam que dicitur Paterville et dimidię terram Isnelmainsille, cum dimidia parte ecclesie sancti Aquilini. Et in Ebroicensi pago, ecclesias de Wellebou et de Caldebec et de Loviers et de Pintarvilla, cum omnibus decimis que ad illas pertinent, et hospitibus multis eidem ecclesie servientibus. Et in Secana, unum tractum, et in Actura, duos, et pescationes molendinorum de Loviers, et quadraginta solidos in molendinis suis, et in nemore suo ad omnes

usus monachi ibidem commorantis necessaria, et pastionem ad suos proprios porcos. In hominibus quoque dedit tantam libertatem in curia sancti Taurini quantam suis hominibus in sua curia. In pago quoque Constantini, Periers et Millieres et Waudrimainville et que ad illa pertinent, sicut in dominio habebat libere dedit. In Lisvino, terram apud Martini Villam et apud Ulmeia et apud Molas, unde plurimorum vavassorum servitium redditur monachis, et liberas consuetudines per totam terram suam. Et in festivitate sancti Taurini nundinas totius civitatis et omnes illius diei consuetudines, et similiter in festo sancti Benedicti estivalis.

Hec de parte sua piissimus Normannorum princeps Ricardus Willelmi filius eidem ecclesie dedit, concedens et confirmans ea que subnotantur que barrones sui prediche ecclesie donaverunt.

Willelmus de Paceio, Matildis filius, pro sua et parentum suorum et dominorum absolutione, terram de Chesigne, que deserta et absque habitatore manebat, sicut quiete tenebat sine alicujus contradictione, predicto loco tribuit, annuente domino suo Willelmo de Bretolio.

Et Hugo, filius Hubaldi de Paceio, terram quam in Picturivilla tenebat, excepto quod liberi sui homines in eadem villa tenebant, Domino sanctoque Taurino dedit, et defunctus in claustro monasterii sepultus est. Quam donationem Osbernum de Longavilla firmavit, tribuens etiam terram quam Hugo Borse tenuit, et Tebaldus presbiter. Post hec, Robertus Malet et uxor ejus Emmelina et Gislebertus de Nuille, annuentibus fratribus suis Hainardo et Focardo, voluntate Willelmi de Bretolio et Ricardi filii Herbini, ecclesie beati Taurini dederunt ecclesiam Picturiville, cum omnibus ad eam pertinentibus, et terram ex utraque parte ecclesie triginta duas perticas continentem. Hiis adjunxerunt terram quantum possunt arare quatuor boves in anno, pro duobus monachis, Hugone videlicet Roberti filio et Nicholao Gisleberti filio. Post mortem vero Roberti atque Gisleberti, heredes illorum dederunt predicto sancto silvam illius ville, et Rogerius Genivel quidquid habebat in ecclesia et in decima quiete concessit ; et in jam dicta silva terram quam ibi habebat cum arboribus eidem sancto dedit. Odo filius Geraldii terram quam juxta ecclesiam habebat predicto sancto dedit.

Hec omnia supradicti domini quiete sancto Taurino concesserunt, et donationem super altare posuerunt, testimonio multorum.

De hiis que ad fiscum comitis Ebroicensis pertinent, Robertus Lovellus, terram que Ciconia dicitur, sicut quietam et liberam tenebat de eodem comite, consensu Willelmi comitis, facta solemni donatione concessit cum ecclesia et que pertinent ad eam. Qui comes Willelmus pastionem monacho ibidem commoranti ad proprios porcos dedit. Dedit etiam ipse Robertus eas decimas que de suo feodo erant, scilicet de Avrille et de Guerel et de Plasseis et de Gorhan et de Baschoieres.

Interea Gostho, presbiter, ecclesiam de Sissei cum decima, sicut quietam tenebat, concedente domino suo Simone, dedit, ibi factus monachus. Et Symon, dominus ejus, dedit quinque acras terre cum duobus hospitibus et decimam molendini apud Ebroicas, qui dicitur Mareschal.

Denique Albereda, decimam Grandis Silve, quam proprie tenebat, dedit, et liberi homines sui suam, consensu illius ; inde monachi ecclesiam fecerunt. Adjunxit quoque eis terram Albereda in eadem villa sex acras terre et terram ad hospitandum.

Angnes quoque, uxor Rogerii de Paciaco, dedit Deo et sancto Taurino, de hereditate sua, ecclesiam cum decima de Berou et ecclesiam Sancte Trinitatis, cum terra ad duos boves.

Goscelinus de Sauchenvilla, et ejus filius Willelmus, dederunt eidem sancto ecclesiam sancti Martini cum decima et decimam de Maisnilla. Preterea Radulfus et Fulco, filii Hugonis de Petroca, dederunt sancto Taurino decimam ejusdem ville, concessu Roberti filii Hugonis, domini sui.

Hugo de Sache et ejus filius Robertus, cum suorum amicorum consensu, decimam de Sace et de Morsent dederunt, unde monachus effectus est idem Hugo.

Ricardus quoque comes Ebroicensis, annuente Willelmo ejus filio, pro salute anime sue, dedit decimam de Bueville.

Hunfridus cognomine Morinus, filius Henrici, dedit sancto Taurino decimam terre sue de Veteribus Ebroicis. Similiter Astho de Sancto Albino dedit decimam terre sue, annuente domino suo.

Ricardus quoque Harenc sancto Taurino dedit decimam cuiusdam terre sue que vocatur Caltius.

Gencelinus dedit Deo et sancto Taurino ecclesiam de Nemore Gencelini cum decima et quatuordecim terre acras, annuente domino suo Rogerio de Bellomonte, de cuius fisco erat. Addidit etiam Gencelinus pascua peccorum monachorum intra et extra silvam ; pro quo in eodem loco monachus effectus est.

Rogerius de Bellomonte, amore Dei et anime sue salute, dedit ecclesie sancti Taurini in perpetuum habendum per annum unum modium frumenti et alterum modium braisi et decimam molendinorum Normanville ; quem sequens filius ejus Robertus hoc idem concessit.

Radulfus vero filius Othonis dedit decimam molendini de Belmontel et qui est subter civitatem Ebroicensem, et decimam ville de Teillole.

Morinus Delpin dedit decimam molendini sub muro civitatis et ejus quod est apud Sanctum Germanum.

Rogerius Harenc dedit decimam molendinorum de Glisoles.

Herbertus de Croise, dedit decimam de villa que dicitur le Plaissez Hebert ; inde postea monachus effectus est.

Mahiel filius Gaufridi, concessu domini sui Willelmi de Bretolio et parentum suorum, in territorio de Gloz, in villa que dicitur Bois Mahiart, dedit terram ad unum aratrum ad usus monachorum.

Willelmus filius Amaurici, factus monachus, dedit sancto Taurino decem et septem acras terre apud Isnelmainsnille, concedente fratre suo Gisleberto et domino suo Walterio.

Radulfus Bella Caro particulam silve quam habebat in territorio Sancti Germani dedit sancto Taurino, concessu domini sui Walterii filii Radulphi.

Simili modo quatuor milites, qui tenebant liberam terram apud villam que dicitur Campania, scilicet Hugo Batpaele et Rogerius filius Oelerii et Urso et Rainerius, concedentibus dominis suis, Simone filio Landrici et Rogerio Bello, dederunt sancto Taurino ecclesiam Sancti Laurentii cum omnibus que ad eam pertinent et in circuitu ecclesie, ex omni partes viginti perticas terre ad hospitandos homines in proprio dominio sancti dederunt et terram ad laborandum unusquisque ad duos boves. Dederunt etiam de silva sua ad usus monachorum quantum necesse fuerit. Simon vero et Rogerius Bellus, dederunt monachis pasnagium porcorum et propriorum et suorum hominum et silvam ad usus eorum et prati quinque jugera, et culturam que dicitur cultura Hersendis. Dedit etiam Rogerius Bellus terram ad unum bovem ; hec donatio facta fuit, annuente Gisleberto presule apud Ebroicas, de cuius fisco erat. Gohellus de Ivreio dedit capellam que facta est intra castellum Illeis liberam et quietam, furnos quoque totius ville et castelli, et decimam omnium que ad se pertinent, et panis proprii et molendinorum et piscium stagni et terram convenientem ad habitandum et laborandum ; et si contigerit quod thelonium et transitus ibi capiatur, similiter decimam.

Godefridus, clericus, concessu Roberti Canuti, domini sui, et aliorum dominorum suorum de quorum possessione ipse tenebat, dedit beato Taurino decimam de Croise, sicut quiete tenebat cum omnibus que ad eam pertinent. Cujus ecclesiam Herbertus de Croise dederat eidem sancto.

Apud Pacecum vero dedit Godefridus ecclesiam Sancti Antonini, cum pertinentiis.

Rogerius, pincerna de Normanville, dedit dedit monachis sancti Taurini decimam terre sue, ibi factus monachus. Similiter Willelmus Harenc, factus monachus, dedit decime medietatem de Waudrivate.

Willelmus de Sancto Germano dedit decimam terre sue quam habebat apud Meeruel.

Radulfus de Meeruel dedit sancto Taurino terram de Jarieiz, quod filius ejus Rogerus concessit, et centum acris terre donum patris crevit, et totam decimam ville concessit, concessu domini sui Willelmi.

Radulfus de Toeneio amore Dei et pro redemptione anime sue, dedit ecclesie beati Taurini in Anglia villam que dicitur Eseleia libere et quiete cum hiis que ad eam pertinent, concedente Willelmo piissimo Anglorum rege.

Henricus comes de Warewic, pro anima domini sui Willelmi regis et Matildis regine, et pro sua, dedit in terra Walensium apud Gouherium ecclesiam Sancti Keneti et terram ad duo aratra in vicinio ipsius ecclesie et decimam ejusdem ville Languene et locum aptum ad molendinum et de silva sua ad omnia necessaria et decimas omnium reddituum suorum et de venatione et de piscatione ; insuper de omni dominio suo ; et ecclesiam de Tauvin cum decima et ecclesiam de Pennart cum decima et ecclesiam de Insula, libere et absque calumpnia.

Apud Longam villam Osbernum, filius Hugonis de Cornuil, dedit monachis sancti Taurini consuetudines totius terre, vinearum Gaufredi prepositi et Hermengardis, quas monachi tenebant in dominio, que erant ex fisco ejusdem Osberni, et terram Ausgeru totam quietam, annuente domino suo Rogerio pincerna regis.

Robertus dapifer dedit Deo et sancto Taurino duas acras terre in Warennu et decimam culture Petri, domini sui. Emma de Valle et filii ejus dederunt sancto Taurino decimam quam possidebant in busco et in valle Grimoldi et in Cantapica et apud Sanctum Remigium, pro fratre suo Thoma ibidem facto monacho.

Heldebertus, factus monachus in ecclesia sancti Taurini, partem hereditatis sue donavit ecclesie ; reliquam partem quam invadiavit ipse et frater suus devadiavit Hosmundus qui, in ecclesia factus monachus, totum vadimonium et hereditatem reliquit quietam, concessu Godardi et Varengeri, quam postea tradiderunt monachi ad medietarium Gordardo, secundum consuetudinem ville.

Simon quoque, comes Ebroicensis, dedit Deo et sancto Taurino biduales nundinas que sunt in secunda dominica post Pentecosten et die lune sequenti. Similiter Radulfus Ebroicarum, scilicet concessu tam comitis Ebroicensis quam comitis de Mellent, dedit Deo et sancto Taurino totam decimam quinque molendinorum suorum in parrochia Sancti Germani et decimam molendini de l'Isle de Chativel et aquam Sancti Germani et omnem piscationem et nansas ejusdem aque et decimam de Angerville. Dedit etiam medietatem ville que dicitur le Buisson Amaury et duos homines cum domibus suis, et decem solidos annuatim propter anniversarium, pro anniversario patris et matris sue et omnium parentum suorum, et concessit omnia pertinentia ad feodium suum que antecessores sui vel homines alii dederunt Deo et sancto Taurino, scilicet decimam del Teillol Radulfi filii Othonis et decimam molendini de Belmontel, et decimam de Maisnille Othonis et decimam del Maierel et decimam de Bosco Gencelin et decimam

molendini de Grocet et medietatem aque et ville illius que dicitur Berengierville et apud Sanctum Germanum tres acras terre quas Johannes filius Lamberti dedit beato Taurino.

Ricardus de Millieres, concessu Willelmi fratris sui et parentum suorum, dedit Deo et sancto Taurino quidquid habebat vel habere debebat in ecclesia de Millieres, unde victui necessaria de abbatia sancti Taurini habuit omnibus diebus vite sue.

Has predictas donationes, sicut rationabiliter facte sunt, prefate abbatie sancti Taurini et monachis ibidem Deo servientibus confirmamus.

Testibus : Guarino Ebroicensi, Willelmo Lexoviensi, episcopis, Willelmo filio Radulfi, tunc senescallo Normannie, Roberto de Hare cort, Waukelino de Ferrariis, Henrico de Grai et pluribus aliis.

Data apud Vallem Rodolii, quindecima die januarii, per manum Willelmi, Eliensis episcopi, cancellarii nostri, anno sexto regni nostri.